



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118324**

§. 64. Ejusdem vitia, animique dotes

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

Sæcul. XV. dens. Non tamen soli, quantumcunque  
 A.C. 1451. eximiae animi fortitudini tot victiarum  
 gloriā debebat, sed vel maxime sua e-  
 tiam prudentia ac temporum, rerumque  
 experientia ad tam felices successus con-  
 currebant, quorum adminiculo duo ever-  
 tit imperia, duodecim occupavit Regna,  
 & ducentas urbes & amplius Christianis  
 eripuit.

## §. LXIV.

*Vitia & virtutes Mahometis.*

Tanta præstabat scientia, qua major in  
 Muselmano, qui sibi omne literarum  
 genus interdictum arbitratur, jure ex-  
 pectari haud poterat. Præter patriam  
 alias quinque callebat linguas, nempe  
 Græcam, Latinam, Arabicam, Chalda-  
 cam, & Persicam. Haud modice tinctus  
 erat in Mathematicis, astronomicisque  
 scientiis, plus ceteris tamen eminebat  
 in disciplina militari, quam non solum  
 studio, sed & experientia sibi compara-  
 verat. Affidualectione veterum Heroum,  
 ac illustrium virorum gesta perdidicit,  
 quorum ope ad superandam eorum glo-  
 riā accendebatur. Verum tot, tamque  
 præclaræ ingenii dotes haud meliorem,  
 magisque probum reddere poterant;  
 infanus enim erat felicitatis suæ cultor,  
 nec præter fortunam aliam agnoscebat

divini-

divinitatem; huic se suaque omnia litare Sæcul. XV.  
singulis momentis paratissimus. Omnes A C. 1451.  
Religiones despiciatui habebat, atque in-  
ter eas præcipue Christianam, quam ve-  
luti superstitionem traducebat, Mahome-  
tem quoque, ubi cum suis familiariter  
conversabatur, nonnisi sicariorum caput  
nominabat. Illos, qui alia Providentia,  
quam quæ unicuique innata est, mundum  
regi credebant, cachinnis excipiebat, ac  
pro unica suarum actionum meta sta-  
tuebat propriæ suæ utilitatis rationem,  
honoris sui magnitudinem, ac sensuum  
voluptatem; de cetero nec fidem, neo  
promissum, nec juramentum, nec pacta  
unquam plus servare sollicitus, quam con-  
sequendis suis studiis id opportunum  
ac utile sibi videbatur. Voluntas ejus  
non minori vitiorum lue quam intelle-  
ctus infecta erat; omnium enim, quæ  
magnanime gessit, gloriam obfuscabat li-  
bido, ac teterima flagitiorum sentina.  
Stephanum Bosniæ Ducem, & Mity-  
lenis Principem trucidari jussit, violata  
fide, quam dederat Davidi Comneno, e-  
jusque liberis, quos omnes extremo ri-  
gore divexavit: imo eo aliquando cru-  
delitatis prolapsus est, ut quatuordecim  
Ephebis suis ventrem discindi juberet,  
scrutaturus, quisnam eorum peponem ex  
horto suo, quem ipsus excoluerat, furto  
sublatum comedisset; cujusdam quoque

U 4 fœmi-



*Sæcul. XV. föeminæ caput propria manu amputavit,*  
*A.C. 1451. eoquod nonnulli ipsum nimii erga eum amoris redarguissent.* Talis tantusque fuit Mahometes II, quem Turcæ cognomento *Bajuc* id est *magnum* honorare non dubitant, eo nomine haud aliter dignum, quam quia magnus est inventus in superbia, ambitione, avaritia, latrociniis, perfidia, crudelitate, omnique solutissimæ vitæ licentia, præcipue vero in Religio-  
nis contemptu.

## §. LXV.

*Cusanus Cardinalis Legatus in Germaniam a Papa decretus.*

*Æn. Sylv. de Europ. c. 3. in fin.* *Nicolaus Papa, comperta Amuratis morte, mala Christianæ Religioni sub ejus successore impendentia præfigiebat; unde periculum potissimum Christianorum regnis, & præcipue Constantiopolitano imminens imperio, quod Mahometes omni, quo posset modo, subjugare decreverat, Pontificem movebat, ut Principes ad ferendum Græcis subsidium hortari, & populi Christiani zelum in idipsum stimulare non cessaret. Quem in finem Cusanum Cardinalem in Germaniam Legatum decretit, qui & monasticam disciplinam in coenobiis restitueret, pacem inter dissidentes Principes conciliaret, necnon Indulgentias Jubilæi publicaret,*